36036|A

char

3/-

65.B.58
30014
3/5 –
[illegible]
20

Pre: 1^s.

Imprimatur.

*Roger L'Eſtrange,*

# Solamen Ægrorum,

SIVE

## TERNARIUS MEDICAMENTORUM

Chymicorum

## Ad omnes fere Morbos

Curandum (*Galenica* Remedia ἐπὶ τὸ πολὺ eludentes) Maxime deploratos & grandes,

**Feliciſſime inventa Remedia,**

in { *Purgando,* *Exudando,* *Roborando,* } Arcana in effectu Potentiſſima

aſt mitiſſima in modo Agendi.

Quorum Operationes in Medela omnium Morborum univerſaliter perficiuntur; ſed Claſſibus & terminis propriis circumſcriptæ.

Praxi novæ & peculiari methodo medendi Artificioſè accommodata.

---

Authore *Everardo Maynwaringo,* Philoſoph. & Med. Doctore.

---

*Londoni,* Excuſum per *G. M.* pro *Gulielmo Crooke*, ad Inſigne trium Sacrorum Bibliorum, in loco vulgo *Fleetbridge*, 1665.

30014
WELLCO
HISTORICAL
MEDIC

*Magnifico, Clariſſimo, Generoſiſſimo*

Dom^no^, Dom^no^

GEORGIO,

*DUCI* Buckinghamiæ

*Invictiſſimi, & Sereniſſimi*

*Monarchæ*

Caroli II. *Mag.* Britanniæ

Franc. & Hyber. Regis,

Conſiliario intimo;

*Ordinis Nobiliſſimi aureæ Periſcelidis* Equiti, &c.

*Chymiatrorum Mecænati Maximo*

*Salutem & Obſervantiam.*

COgitanti mihi (*Vir Nobiliſsime*) cui hoſce Labores (uti mos fuit aliis) inſcriberem, non diu

 hæſitavi

hæſitavi, priuſquam in *Chymia* eximiæ Tuæ Dotes feliciter in mentem venerint. Merito proin hoc meum qualecunque opus, ad obſequium Illuſtriſsimi Tui Nominis demitto.

Nollem vero libellum hunc ut munus, ſed ut animi grati pignus, & tanquam publicum obſervantiæ τεκμήριον accipias: idque ob duas potiſsimum cauſas.

Prima eſt, quod Artem hanc noſtram magni facere, ejuſq; ſtudio valde Te

delectari ſciam: altera eſt, maxima Tua & ſemper in memoria habenda, nunquam autem ex merito deprædicanda Humanitas, quam nuper erga *Chymiatros* candide comprobaſti: Quamobrem ut aliquod devotiſsimi obſequii publicum exſtet indicium, hanc meam opellam Nomini Tuo Clariſsimo Monumentum dedico.

Seculum hoc ſciat, Tuam adeo generoſe & gratiſsime hujus Artis cul-

toribus conceſſam Amicitiam, quamplurimaq; Favoris indicia, quæ æternitati mandentur, dignißima æſtimari. Proinde ut PATRONI tanti Benevolentia & Beneficentia (quantum in me fuerit) maxime & perdiu eluceſcant; hoc devotionis perennis teſtimonium Tibi conſecrandum volui; fateor quidem Tanto VIRO, & pro tantis Meritis, longe majora & præclariora a me deberi: hæc tamen boni

conſulas, valde rogo, donec occaſionem ampliorem nactus fuero.

Vale, Nobiliſsime, Ampliſsime, Clariſsime Domine, & quo ſoles Favore ac Benevolentia, *Chymiæ* profeſſores deinceps foveto, & eorum ſtudiis faveto; quandoquidem eos in æternum Tibi devinctos habes, uti etiam in omni obſequio,

*Magnificentiæ & Amplitudinis Tuæ obſervantiſſimum*

Everardum Maynwaringum, *Phil. & Med. D.*

*Dat.* Lond. *Calend.* Maii. *An.* 1665.

# Operis Ratio.

ANtiqui tanti æſtimarunt Medicamenta, ut Potentiſſimi reges, Principes, Duces, et Magnates, non ſolùm vires ſimplicium perſcrutati fuerint, ſed etiam quomodo egregiæ indè conficiantur Compoſitiones, fuerunt occupati, atque hoc opere ſeſe delectaſſe referunt historiæ.

Priſci etiam Medici maximè præclari, ſumma cum diligentia et propriis manibus Medicamenta parabant, uti ex ipſorum libris poſteritati traditis videre eſt.

Ægrorum ſaluti ſic optimè conſulitur et commodis.

Veterum hac in re exemplum imitatus, idque ob multas graveſque rationes; diligenter ſtudui, multumque in hoc opere inſu-

dayi

*davi ut me patronum dominumque facerem alicujus Medicamentorum numeri, illorum nempe quæ tam ad vitam propagandam, quam ad valetudinem Conſervandam, morboſq́ propellendos maximè excellant.*

*Proin dedecori non erit Medico ſi præparandorum Medicamentorum rationem non tantum* κατὰ γνώμην *ſed et* κατὰ χεῖρα *aggrediatur.*

*Quùm (ut inquit* Rolfincius, *Doctor peritus in Chymia) Medicamenta fœlicius ægrotantium ſpes ſatiant, fructuſq́ ſanitatis uberiores ferunt, Medicorum manibus parata.*

*Porro Medicus quantumvis aliarum quarumcunq́ Medicinæ partium callentiſſimus, ſi vera cognitione Medicamentorum deſtituatur, nullum ſpecimen effectumque dabit, quo pro Medico habeatur, aut ullo honore dignus æſtimetur, uti* Ang. Sala *vere dixit.*

*Medico enim parum aut nihil prodeſt, noſſe quam ſubtiliſſime ratiotinari de Corporis Conſtitutione, Morbo, Cauſa antecedente,*

*dente, materia morbifica, parte affecta et ſymptomatibus; ſi interea Medicamenta ignoret quibus Morbum oppugnare, et ægri ſanitatem amiſſam recuperare debeat.*

*Medicamentorum autem vera Cognitio, non librorum lectione ſolùm, ſed ex proprio intuitu et experientia multiplici Medicinas faciendi, adipiſcitur. Præparationem Medicamentorum accuratam habebit, de eorum operatione Certus eſſe poteſt, fœlicior etiam et Confidentior erit in ſua praxi.*

*Quæ cum ita ſint, qui vere Medicus non* ὀνόματι *ſolum, ſed* ἔργῳ *haberi vellet;*

*Sedulò ei incumbendum eſt, ut artem Pharmaceuticam quam diligentiſſime excultam habeat.*

*An vero Chymica Medicamenta* Galenicis, *vel* Galenica *Chymicis anteferenda ſint? Impræſentiarum brevitatis cauſa, non fert mei inſtituti ratio ventilare.*

*Hoc tantum dicam multiplici experientia utriuſq; Medicinæ edoctus, quod vires ſimplicium exercitio Chymico rectius Cognoſcantur et inveſtigentur, quàm partes*

*ſinceræ*

*ſinceræ atq; ab aliis ſeparatæ habeantur. Etenim dum Corpus aliquod artificio Chymico aperitur, ejus ſubſtantiæ ſegregantur, quarum ſingulis cùm per ſe utimur, in Cognitionem venimus quâ in parte ſit proprietas uniuſcujuſq; earum: unde vera addiſcitur Theoria uti* Ang. Sala *vere pronunciavit.*

*Deinde impuritates et noxiæ qualitates Chymiæ beneficio fæliciùs tolluntur.*

*Solum vero puræ et virtuoſæ Medicamentorum vires Conſervantur, atq; etiam exaltantur, Compedibus enim ſolutis, liberè ſpargunt radios, ac proinde naturæ minus negotii inferunt, ut in actum deduci queant.*

*Nonnulli tamen Medicamenta Chymica periculoſa eſſe clamitant; fateor quidem rei optimæ peſſimum eſſe abuſum; culpa verò non eſt Medicamentorum, ſed potius Medicorum iis non rectè utentium; vel operatorum inartificioſè et indebitè ea facientium, uti ſæpiſſime accidit: Chymia Certè inimicum non habet niſi ignorantem.*

*Intereſt*

*Intereſt propterea multum in Chymicis Medicamentis quis ea præparavit, et quis iis utatur: non unicuique fides habenda eſt; pleriq; enim per mortes et per ægrorum pericula experimenta faciunt.*

*Qui vero Medicamenta ſpagyrica ſatis probata, publici juris facient; laudes eorum meritas talibus perlubenter attribuam.*

*Ex jam dictis patet, ſaltem viris prudentibus, ſummam laudem propter ſummam eorum energiam Medicamentis ſpagyricis deberi.*

*Quod ad hæc attinet, quæ jam in lucem edi curavi, maximam in eorum præparatione diligentiam ſecundum leges artis ſeriò adhibui: non parcâ manu, ſed diſpendio ſumptûs, temporis et laboris non pœnitendi, opus hoc diu deſideratum perfeci.*

*Quærat forſan aliquis num omnes omnino Morbi, ternario hoc Medicamentorum perſanari poſſint.*

*Cui reſpondeo, omnes omnino Morbos ſanare, non humanæ opis, ſed ſolius divinæ eſt potentiæ.*

*Deinde,*

*Deinde, dantur Morbi plurimi Chirurgicas manus repoſcentes: qui verò ab internis humorum vitiis, ab interna radice, ſeu impuritatum tincturis, et declinatione debilis naturæ oriantur affectus, etiam deplorati; minimè dubitandum quin hiſce præſidiis debitè uſurpatis Curari poſſint.*

*Hoc tantum Coronidis loco adjiciam; valde quod etiam rogo, imperiti ſaltem ne temerè judicent, & qui eorum uſum nondum experti fuerint.*

Londini,
*Juxta ſignum apri Cerulei ad pedem Collis extra*
Ludgate.

# Errata.

Pag. 5. lege *diæteticum.* p. 18. lege *præſertim.* p. 19. lege *optimè.*

*Hæ lineæ* pag. 25. *inſerend.*

Sciendum deniq; quod neq; æſtatis torridus calor, nec hyemis ſummum frigus Elixiris hujus uſum prohibet ; ſed quovis anni tempore cum fructu ſperato aſſumitur, dummodo bonum vitæ regimen mutationibus iſtis appropriatum debite obſervetur.

# Medicamenta

## POLYCHRESTA,

*Arte Hermetica,*

Longo tempore, Sumptu, et Labore feliciter acquiſita.

In tres Claſſes Principales, ſecundum præcipuas eorum Proprietates, et rectam Medendi methodum ſeorſim digeſta.

In { *Purgando,* *Exudando,* *Roborando,* } Valentiſſima Remedia.

Quorum eximiæ Virtutes Uſuſque multiplices, variis in Morbis diſtincte poſthac recenſentur.

Summe *Utiliſſima* in graviſſimis et deploratis Affectibus, perſæpe probata.

Materiam ſive mineram morbificam, eradicatu difficilem, per Alvum, per Urinam, & Cutis poros placide educunt.

Sanguinis in Circulando ſegnitiem corrigunt, vi penetrativa ſtimulando, craſſitiem attenuando, meatus aperiendo, ut ab infarctu anguſtas liberant vias; tenues & ſeroſos humores per Diaphoreſin ejiciunt, vel per Urinam emittunt.

Putredinem prohibent, Vermes necant, Flatus diſcutiunt, & Concoctionum errata (ſcaturigines fere omnium Morborum) in ſingulis officinis corrigunt.

Principia vitalia et Facultates omnes deficientes relevant et reficiunt;

Corroborando partes debilitatas, ut inde priſtinæ reſtituantur ſanitati.

Totum Corpus ab immunditie et illuvie humorum mundificant; et maſſam ſanguinis Balſamica eorum virtute (quantum in Medicina eſt) à corruptione vindicant, niſi mali diuturnitate Viſcera corrupta ſint.

Tabidis, et iis qui vel à natura debiliores, ut à ſenio, vel per diuturnos morbos, aut nimiam Venerem emaciati et imbecilliores redditi, egregie ſuccurrunt.

Cohorti morborum Scorbuticos variis modis devaſtantium inſurgunt, valideque reſiſtunt: et quocunque fere morbo correptis ſaltem auxilium præbent, ſi Curam non perficiant; ut, quando Malum per ſe penitus incurabile redditum, vel

corporis œconomia omnino collapſa fuerit.

Contra Morbum Gallicum eximia ſunt Remedia ; ad reſiſtendum malignitati iſtius fermenti, ad ſanguinem inquinatum et vaſa ſeminaria purificandum, Gonorrhœam virulentam tuto ſiſtendam, mitigandos dolores et alia ſymptomata quæ dicto accidunt malo.

Non minoris ſunt efficaciæ, ad Gonorrhœam non virulentam, ſive ſtillicidium Seminis, ex imbecillitate retentricis facultatis in vaſis ſeminariis, vel vitio ſeminis ipſius, quod eſt crudum, aquoſum, et tenue, vel acre, calidum, et ſtimulans: unde gracilitas cum pallore et cavitate oculorum, impotentia co eundi, et totius corporis enervatio.

Neque enim amovent tantum impedimenta,

dimenta, verumetiam vires inſuper augent, ſpiritus refocillant, actumque Venereum promovent.

Curabilium medelam cito, tuto, jucunde perficiunt; bonum interea regimen diætaticum obſervando: Incurabilium ſymptomata, ne pejora evadant, prohibent. Præſtantiſſima quæ adhuc ſcio Remedia.

Quamobrem dico, et revera cuivis Ægrotanti promitto, quod inter Medicamenta (ſive Mineralia, ſive Vegetabilia, vel ex Animalibus deſumpta, vel quomodocunque præparata) nulla obſervaverim in ſuis Virtutibus et modo Operandi magis univerſalia, magis etiam benigna, tuta, et efficacia, quam hæc tria ſaluberrima, ſcitu digniſſima.

Summatim, qui his Medicinis prudenter ſecundum regulas infra

obſervandas utitur, maximo cum fructu teſtimonium Virtutibus earum recitatis libenter dabit, cum ſperatos effectus feliciter invenerit.

*Hactenus generaliter de omnibus ſimul dixi; poſtea de ſingulis diſtincte eorum Virtutes & Uſus enarrabo.*

---

Pilu-

---

# *Pilulæ Scorbuticæ*

IN omnibus Morbis evacuatione egentibus, (multiplici earum experimento edoctus) maximo cum fructu exhibentur.

Proin Cathartici univerſalis hoc medicamentum merito ſibi nomen vendicat.

Hæ Pilulæ namq; præ cæteris omnibus purgantibus (quæ probavi multoties) mihi ſemper placuerunt, in quamplurimis morbis, in utroq; ſexu, & quavis ætate, prægnantibus & pueris non exceptis.

Adeo enim benigne & clementer omnes humores noxios per alvum educunt, ut quivis earum operationem facile ferat.

Aptiſſimum medicamentum pro delicatioribus, nec non imbecilliori ventriculo laborantibus, qui citra vomitum alia purgantia admittere nequeunt; iiſq; infirmioris naturæ qui fortiora medicamenta non facile tolerare poſſunt.

Et quod mirabile, in durioribus & robuſtis corporibus, & quibus alvus difficili & non niſi forti medicamento movetur; iis inquam hoc lenitivum efficaciter, idq; ſine

moleſtia, ſine torminibus ſuum opus peragit.

Inſuper & quod maximè ab uſu purgantium ægrotantibus moleſtum eſt, per dies aliquot purgationem ſequentes, alvum reſtrictum & conſtipatum pleriq; habent: quod vitium optimè præcavetur in nobilis hujus Cathartici nova & dextra præparatione.

Et cum reliqua purgantia ventriculum ſoleant debilitare, & nauſeam inducere, habet hoc extractum præ aliis Excellentiam, quod inſtar Balſami confortat ventriculum & omnia viſcera interna roborat, ideoque tam ad tuendum valetudinem quam recuperandum, plurimum commendo.

Ventriculum enim blande extergit, & ab omni illuvie quæ Chylum inficiat, tuetur.

In omnibus proin ventriculi affectibus, à repletione & immunditie ortis, ſive ſint

*Inappetentia,*
*Nauſea,*
*Vomitus,*

*Dolor,*

## *Dolor,*
## *Digeſtio læſa,*

## Præſtantiſſimum Remedium.

Tanta eſt ventriculi affinitas & Conſpiratio cum reliquis totius corporis partibus, ut ex ejus vel minimo errore non diu erit priuſquam cæteræ partes in conſenſum trahantur & male ſe habeant.

Hinc medici periti huic præcipue incumbendum putarunt, ut ventriculm bene valentem in ſuo eſſe conſervarent, vel morbo affectum iterum ad priſtinam ſanitatem reducerent.

Quamobrem hoc extractum Catharticum, præ omnibus aliis purgantibus ad ventriculum efficaciter abſtergendum maximo in pretio haberi meretur.

Appetitum enim deperditum reſtaurat, nauſeam corrigit, dolores ventriculi tollit, cauſam occaſionalem ſubmovendo; digeſtionem procurat bonam & robur ventriculo affert.

In Fluxibus ventris à cibis corruptis & malis humoribus, expultricem facultatem ſtimulantibus; hæ Pilulæ tutiſſime & magno cum commodo adhibentur, ad materiam

peccantem evacuandum : inde fluxus multò ſecurius quam medicamentis aſtringentibus compeſcitur.

Contra omnia periculoſa ſymptomata à vermibus orta, magno cum ſucceſſu exhibentur, quippe quod eos expellant, ſimul etiam putredinem verminoſam in corpore relictam extergant & abſumant.

Ab iis feliciter uſurpantur qui paſſionem Cholicam & ventris tormina patiuntur; materiam lancinantem ſubducendo, aciditatem omnem alienam & hoſtilem abſumendo; Inteſtina exſiccata lubricando, & eorum obſtructiones expediendo; inde etiam flatus ejiciuntur, qui ſæpiſſime dolorem inferunt.

In febribus intermittentibus etiam diuturnis, cum viſcera humoribus putridis & corruptis depravata & debilitata ſint, feliciter has Pilulas ſemper dedi: inde partes nutritioni inſervientes emundantur, obſtructiones *liberantur*; deinde materiâ foventi hoc medio ſublatâ, ægroti ſæpiſſime a febre cito *liberantur*.

Ictericis ſuccurrunt, & corporis colorem ex vitioſo aliquo humore depravatum emendant.

Magni ſunt auxilii in affectibus Splenis & Hepatis: nimirum iis ſubveniunt qui dextrum vel ſiniſtrum Hypochondrium habent extenſum,

extenſum, durum, dolore cruciatum, obſtructum & gravatum: hoc remedio debite uſurpato, partes dictæ exonerantur, flatus diſcutiuntur, obſtructiones reſeruntur, ut poſtea recte fungantur officiis.

Hydropicis maxime conveniunt, ſeroſos humores mira promptitudine per alvum educendo; et in omni hydropis ſpecie magno cum ſucceſſu, tanquam hydragogum optimum uſurpavi.

Scorbuticis hoc extractum purgans ſingulari præſidio eſt: Viſcera enim interna ab omni feculentia & impuritate mundificat, & per inferiora expellit: hinc digeſtiones inculpatæ, & nutrimentum purum toti corpori diſpertitur.

Aſthmaticis, Tuſſientibus, & quibus reſpiratio eſt difficilis, hæ Pilulæ Purgantes valde conducunt: ſubducendo pituitoſam & viſcoſam materiam, vaſa Pectoralia infarcientem; bonam etiam Coctionem promovendo, & Cruditates tollendo: hinc pectoris anguſtia & gravamen aufertur; inde facilior & liberior reſpiratio ſequitur.

Cachexiæ, ſeu pallidis virginum vel aliarum coloribus, ex retentione menſtruorum, hæ Pilulæ per aliquot dies adhibitæ optime medentur: Menſtrua enim retenta efficaciter promovent, obſtructiones venarum uteri aperiendo.

Suffocationi matricis ſeu paſſio nibus Hyſtericis etiam auxilium præbent, uteri impuritates abſtergendo & ob prædictas proprietates.

Non minori cum ſucceſſu exhibentur in fluore albo mulierum ; qui arguit impuritatem uteri & vaſorum ſeminalium ; vel Cachexiam totius Corporis, et abundantiam humorum vitioſorum ad matricem concurrentium, ut per ejus cervicem emittantur: Sed perſæpe falluntur Medici, quod Gonorrhœam ſive Stillicidium Seminis ex imbecillitate vaſorum, & aquoſitate ſeu cruditate ſeminis (uti non raro accidit) fluxum album muliebrem judicant: proin & Purgantibus (heu pernitioſe!) nimium incumbunt, ut fluxus iſte avertatur, & alio derivetur; ſed fruſtra, imo perdite.

Corporis ex humorum redundantiâ ortæ laſſitudini conveniunt; evacuatâ enim materia, vires Corporis omnes levantur et recreantur.

*Qui* Capitis infirmitatibus præcipue per deuteropathiam (ut ſæpiſſime accidit) ſunt ſubjecti; magnum *iis* affert auxilium hoc catharticum univerſale: quando nempe pars aliqua inferior, puta ventriculus, inteſtina, lien vel uterus quodum vitio laborat, exinde per

per conſenſum vel tranſmiſſionem cerebrum & nervi male afficiuntur: hinc ſæpiſſime

*Capitis gravitas & dolor,*
*Vertigo,*
*Epilepſia,*
*Apoplexia,*
*Convulſio,*
*Vigiliæ,*
*Mala inſomnia,*
*Affectus Soporoſi,*
*Gravis Auditus,*
*Sonitus Aurium,*
*Viſus obſcuritas,*

In his inquam affectibus, (cum vapores vel humores noxii & maligni in arcem & ſedem ſupremam Microcoſmi ſcandunt) hæ Pilulæ ſingulari ſunt præſidio, ut ægri a prædictis

dictis iſtis ſymptomatibus liberentur,& conſerventur.

Arthriticis ſubveniunt, aciditatem ſeu acorem hoſtilem & exoticum qui nervoſum genus ferit, abſumendo : Laticem abundantem & peregrino ſale contaminatum, minuendo; inſuper & ad mali etiam præcautionem faciunt; quando quidem digeſtionum officinas ab omni impuritate quæ earum fermenta inquinare, & tinctura aliena imbuere apta eſt, probe abſtergunt : hinc munera Digeſtionum integre perficiuntur, & nutrimentum inculpatum toti corpori diſtribuitur.

Denique, hoc extractum Pilularum eſt excellens Remedium, & Univerſale agens, in omnibus morbis qui purgatione indigent, & ex humorum putredine vel alienatione quacunque originem trahunt.

Quamobrem in affectibus Ventriculi, Capitis, Thoracis, Lienis, Hepatis, Inteſtinorum, Meſenterii, Pancreatis vel Uteri, diuturnis etiamſi & periculoſis, commodiſſime uſurpatur.

Quanquam etiam Medici fere omnes dicunt, nullum purgans Medicamentum antequam Humorum craſſities attenuata & digeſta, & viæ per quas expurgare debet apertæ ſint, exhibendum.

Nihilominus

Nihilominus multiplici uſu & ſucceſſu nobilis hujus Cathartici edoctus, contrarium affirmare auſim; nimirum licet venter ſit conſtipatus, viæ & meatus per quos humores peccantes ſint expellendi, obſtructi, non neceſſario tamen præparatio præmittenda eſt; quippe quod hoc extractum abſque ulla remora, ſua peculiari vi penetrare poteſt, viresque ſuas exercere, idque blande & ſine moleſtia vel torminibus operatur.

Proin dico Obſervationes & Regulas quamplurimas ab antiquis religioſe traditas, non coercere aut frænum injicere iis in praxi Medica, qui nobiliora arcana poſſident.

Quapropter non eſt quod rideant *Galenici*, ſi modo inſolito & methodo peculiari (ſpretis eorum præceptis) Chymici curaverint.

---

*Doſis.*

## *Doſis*

NAturalis cujuſq; proprietas conſideranda eſt:alii enim fortioribus & majori Doſi exhibitis purgantibus ægre moventur; alii a quovis etiam purgante aſſumpto, facile purgantur.

Quibus facilis eſt alvus & debilioribus tres Pilulæ exhibeantur: fortioribus & robuſtis corporibus quatuor pro una Doſi, vel etiam quinq; tutò deglutiantur: prudens autem quiſq; pro conditione Corporis Doſin moderare poteſt, poſt primum experimentum harum Pilularum.

Et hanc cautelam in memoria ſemper habeas; quòd purgationes fortes corpus debilitant, plus nocent quam juvant.

Quamobrem ſi quinquies vel ſexies alvus deponat, multò melius eſt quam ſi octies vel decies fluat; & juxta hanc regulam Doſin tuo copori idoneam facile & utiliter determinare potes.

*Tempus*

# *Tempus & Modus utendi.*

DOſis harum Pilularum partitim & non una vice ſumenda eſt (niſi impedimentum quoddam obſtiterit,) hoc modo:

Capias Pilulam unam duabus vel tribus horis poſt Cænam levem, cubitum iturus: Poſtero die & ſummo mane in lecto capias duas (vel tres, pro conditione corporis) & ſomno indulgeas per horam unam; tum è lecto ſurge, ne evacuatio impediatur; & ineunte jam fere purgandi motu, capias hauſtulum ſeri lactis Cerviſiati, cum debito regimine uti mos eſt in aliis purgationibus.

Doſis repeti poſſit, & ſimiliter faciens, ſingulis diebus, quartis vel quintis, & non ſæpius, niſi corpus ſit valde robuſtum & vitioſis humoribus ſcateat; inter primam autem & ſecundam Doſin, vel breviorem diſtantiam quivis terminet, inter ſequentes vero intervallum præſcriptum obſervet.

Advertendum etiam, in uſu harum Pilularum cum Elixire; Pilulæ ſemper præcedant.

# *Elixir Catholicon.*

HOc medicamentum non eſt ſpecificum & appropriatum unico alicui morbo, ſed gradus univerſalitatis & energiæ latitudinem adeptum eſt; proin inter medicinas univerſales jure tenet locum, utpote quia ad quamplurimos morbos corpus humanum infeſtantes & intrinſecus originem trahentes, præſentim graviores & difficulter curandos, eſt remedium valde efficax; & conſervandæ hominum ſanitati maximè proficuum: Spiritus enim omnium facultatum reficit, & malas humiditates abſumit; & quia membris principalioribus confert omnibus, poteſt etiam in omnibus morbis ab interna radice ſcaturientibus utiliter exhiberi: merito itaque Catholicon ſeu nomen univerſale ei adjicitur.

Hoc Elixir egregiis qualitatibus præditum eſt, quibus penetrat, attenuat, aperit, reſolvit, diſcutit, purificat,& putredini reſiſtit; quamobrem in omnibus infirmitatibus quæ ex humorum putredine originem trahunt eſt excellens remedium.

Sanitatem porro conſervat,corporis facultatibus robur addendo.

Non modo competit iis qui validioris ſunt

naturæ, & quælibet fortiora medicamenta ferre queunt; verum etiam delicatulis & debilioribus fæminis, pueris & infantibus (ſi modo cum ratione adhibeatur) tutum eſt medicamentum.

Hoc vitale Sulphur ſeu ſpiritus æthereus, univerſum corpus permeat, membrorum internorum ut & venarum obſtructiones reſerat.

Capitis dolorem & *gravitatem* tollit, maxime autem ſi per conſenſum ex humorum abundantia & pravitate, è ventriculo & membris inferioribus ſurſum urgente originem ducunt.

Morbis omnibus pituitoſis & ex cauſa frigida ortis mirifice *confert*, morbis etiam calidis à putredine ſeu putridis humoribus initium ducentibus, idem præſtat.

Ventriculum debilem confortat & roborat, nauſeam corrigit, digeſtionem promovet, & cruditates ejus abſumit.

Paralyticis auxiliatur, ſua enim ſpiritali et penetrantiſſima vi, partes impotentes et reſolutas pertingit, diſſipando materiam quæ tranſitum ſpiritibus impedit; ſpirituſq; debiles reſtaurando, ut læſa membra motum recipiant.

Membris etiam tremebundis obtime ſuccurrit; *nervoſum genus* roborando, ſpirituſq; animales reficiendo et adaugendo, à

quacunque cauſa tremor iſte oriatur; ſive ex imbecillitate & relaxatione nervorum ob ſenilem ætatem, crapulam nimiam, Venerem immodicam, vel ſpirituum profuſionem qualemcunque.

Confortat Cerebrum, & omnes ſenſus acuit: proin bono cum ſucceſſu uſurpatur; in Auditus gravitate; necnon in Viſus debilitate confert.

Triſtibus & Melancholicis ſuccurrit, ſpiritus gravatos relevando, augendo, & recreando.

Apoplecticis, Epilepticis & Vertiginoſis eſt auxilium; Cerebrum corroborando, noxios & malignos Vapores aſcendentes abigendo, ſeu potius mineram morbificam in Centro erad cando, quæ dicta ſymptomata producit.

Felici ſucceſſu ab iis uſurpatur qui noctu incubo laborant: corrigit enim omnes cruditates, diſcutit flatulentiam, obſtructiones aperit, & ſanguinis motum per Cor liberum promovet, ut omnino ab hoc liberentur ſymptomate.

Egregie valet contra omnes Spaſmi ſpecies aliaque id genus ſymptomata quæ nervos & tendines afficiunt; ideoque pueris quibus Convulſio eſt familiaris, magnum affert auxilium.

Salutare Medicamentum eſt in affectibus

Thoracis

Thoracis ; ut quando pectus præ nimia phlegmatis craſſi copia ita graviter eſt infarctum & oppreſſum, ut difficulter Spiritus *hauriatur* : Tuſſientibus, Aſthmaticis, & Phthiſicis opitulatur.

Præſervationis cauſa in tempore peſtis, vel quando Febris aliqua maligna epidemice graſſatur, præſtantiſſimum eſt præſidium : nam uſu & continuatione hujus aſſidua, omnes corporis humores, imo & ſpiritus eſſentiis illis Bezoardicis & Alexitericis, ex quibus conſtat adeo imprægnantur, ut ſiqua effluvia ſeu miaſmata contagioſa ſeſe inſinuent, illorum vires ſtatim reprimantur, cor ab ipſorum malignitate, omneſque ſimiliter partes totius corporis liberatæ triumphare poſſint.

Proin & Curationis ergo in Febribus peſtilentialibus & malignis, ſalutaris eſt Antidotus ; ſpiritus vitales adverſus luis graſſantis impreſſiones admodum roborando, contagioſa miaſmata diſſipando, & fermenta peſtifera eradicando, ſi ſudor hujus Medicamenti paulo majori doſi in lecto proliciatur.

Quamobrem & in Curatione Variolarum & Morbillorum tutiſſimum eſt Medicamentum ; nam cauſa putredinis intercipitur, levatur natura, & ſi quid aliud vitii reliquum eſt, ad ſuperficiem corporis relegatur, ac

proinde motus introrſum vitari debet.

Fœtorem halitus corrigit, ab indigeſtis cibis aut alia quacunque in Ventriculo vel Thorace putredine, exortum: omni internæ corruptioni balſamica ſua virtute reſiſtendo, & cruditates tollendo.

Lumbricos necat, & multa prava ſymptomata inde provenientia ſedat.

Qui tabe, atrophia, & corporis conſumptione marceſcunt, magnam iis affert opem; ſive tabida ſtirpe nati ſint, & hæreditario jure morbum tenent, vel aliter iis accidit: extinguit enim calorem præternaturalem, putredinem conſumendo; juvat autem calorem naturalem debilem, & ſpiritum vivificat; nutritionem fruſtratam reſtituit, vitioſam corrigit, & omnia membra principalia confortat: Hecticis, Phthiſicis, & Extenuatis ſingulare remedium.

Scorbuticis, ob inſignes proprietates quibus præditum eſt hoc Elixir, deobſtruendi, incidendi, fixum volatile reddendi, concoctiones juvandi, ſpiritus torpidos reficiendi, remedium apprime utile multoties probavi.

Hydropicis valde auxiliatur, ſeroſos humores per urinam ducendo, per cutis poros etiam emittendo, & partes debilitatas corroborando, ut probe ſuis deinde fungantur officiis.

In

In Palpitatione Cordis, animi deliquiis, & ſyncope, ob ſpirituum defectum, irritationem aut diſſipationem, & id genus aliis affectibus, auxilium eſt excellens: nam ſua ſubtili vi & proprietate cardiaca ſtatim cordi opitulatur, ſpiritus vitales corroborando & reficiendo, cauſam etiam morbificam diſſipando & expellendo.

Ad Uterinos affectus valde approbatur hoc Medicamentum; vitia enim menſtruorum retentorum corrigit, aperiendo omnes meatuum obſtructiones, & fermentationem ſanguinis naturalem promovendo: ſuffocationi Matricis convenit, impuritates ejus conſumendo, vapores diſſipando; & ob dictas qualitates.

Mulieribus gravidis quæ abortum timent à turgeſcentia humorum, vel imbecillitate matricis aut fœtus, optime ſuccurrit; ſedando humorum orgaſmum, retentivam matricis virtutem fortificando, & fœtum roborando ad debitum pariendi tempus.

Hoc Medicamentum efficaciæ & auxilii eſt, ad ſterilitatem & coëundi impotentiam utriuſque ſexus; quando nempe impedimenta oriuntur à læſa ſeminis generatione; ut cum illnd deficit quantitate, vel qualitate depravatur & infœcundum redditur, ob teſtium & vaſorum ſeminalium pravam diatheſin & intemperiem, vel corporis totius

cacochymiam: adauget utriuſque ſexus ſemen, digeſtiones omnes promovendo, conceptionem adjuvat, & facultatem generatricem roborat.

Quid reſtat dicendum? qui huic ſe credet Medicamento, primo perſuaſum ſibi habeat, bonum vitæ regimen obſervet, neceſſum eſſe: cavendo ſibi à crapula, ebrietate, nimia Venere, violentis exercitiis, otio, ſomno intempeſtivo & immoderato, animi paſſionibus, *&c.* (de quibus in libro meo cui Titulus *Tutela Sanitatis* fuſius commentatus ſum) hæc enim ſingula corporis œconomiam deſtruunt, functiones omnes diſſolvunt, optimis licet medicamentis utatur.

In quotidiano mihi uſu eſt hoc Elixir, ob multiplicem ejus effectum, quem in quamplurimis morbis curandis utiliter præſtat: inſuper quod & ægrotantibus ſemper placuit, præcipue delicatioribus & imbecilliori ventriculo laborantibus, qui citra nauſeam medicamenta alia admittere nequeunt; hoc enim Medicamentum facillime & jucunde ab iis ſumitur.

Notandum porro, hoc Elixir tanquam aſylum quoddam pro Confortativo & Cardiaco tum præferendum & utendum (in ſumma virium imbecillitate) quando ab omnibus aliis medicamentis ægrotus abſtinere cogitur,

Summa-

Summatim, ut paucis rem expediam, corpus ſanum conſervat vegetum, confortando omnia membra principalia & eorum functiones promovens: læſum vero priſtinæ ſanitati reſtituit, morbidam illius corrigendo diſpoſitionem, atque vires debilitatas adaugendo; ſi hujus uſui adjungantur Purgationes convenientes ex Pilulis præcedentibus ad partes affectas à materia peccante emundandum, ita ut exinde ægri ſummopere releventur.

---

*Doſis*

---

## *Doſis & Uſus.*

EXhibetur hoc Elixir viris & mulieribus indiſcriminatim incipiendo à guttis quindecim, & quotidie augendo guttas duas vel tres uſque dum aſcendant ad triginta.

Unius anni Infantibus detur, à guttis duabus ad quatuor.

Pueri duodecim annorum capiant à guttis decem ad viginti.

Propinatur hoc Elixir cum cochleari uno vini optimi Canarini, mane ſtomacho jejuno, ſuperbibendo cochleare unum vini ejuſdem ad os colluendum; horâ unâ & alterius dimidiâ elapsâ, edere licet.

Horâ quartâ vel quintâ pomeridianâ Doſis eadem repeti poſſit: ſed hæc repetitio non ſtricte obſervanda eſt, ut quando negotium & vitæ genus non patitur; modo uſum ejus horis matutinis non omittas. At vero cum quiſpiam horas pomeridianas, dicta ratione, obſervare non poſſit, in ſupplementum hujus defectus, horis ſomni & cubitum iturus, hoc Elixir æquali commodo capiat.

Sciendum autem, hujus Elixiris uſum certis horis alligatum non eſſe; ſed quoties neceſ-

neceſſitatis caſus juſſerit (pro hauſtu Cardiaco, in lipothymia & ſyncope, in paroxyſmo ſuffocationis matricis, Apoplexiæ, Convulſionis, & id genus aliis affectibus acute & ſubito prehendentibus) quavis diei vel noctis horâ tuto & utiliter aſſumi poſſit; alioqui vero horis præſcriptis ſemper aſſumendum.

Cavendum ne quis temere de hoc ſubtiliſſimo ſpiritu ſorbeat, niſi cum aliquo liquore miſceatur.

Notandum, hoc Elixir die purgationis non utendum, ſed diebus ſolummodo intermittentibus.

Advertendum etiam, in uſu Pilularum præcedentium cum Elixire; Pilulæ ſemper præcedant.

Ægrotantem etiam admonitum volo, cum morborum aliquorum contumacia ac reſolutionis difficultas longiorem hujus Elixiris uſum requirat; ut caute ab ejus uſu decedat, priuſquam ejus virtutes omnes plene exeruit.

## *Extractum Sudorificum.*

MEdicamentum hoc contra omnes Morbos quibus per Sudores Medendi indicatio eſt, debito tempore & regimine uſurpatum magna præſtat.

Ad præcautionem multorum Morborum Medicamenta ſudorifera ſunt neceſſaria; non minus etiam utilia in curatione morborum cum chronicorum, tum acutorum.

Si Renes in attrahendo ſero ſegniores ac imbecilliores. vel habitus corporis denſior & imperſpirabilis obtingat; hinc ſeroſitates accumulantur: cum vero copia ſeroſi humoris augeatur, propter inſufficientem Renum ſequeſtrationem, vel pororum cutis obturationem, & ſudoris atque occultæ tranſpirationis denegationem; fervorem, ebullitionem, acrimoniam ſibi contrahit, & varie degeneratur, unde plurimi morbi & prava ſymptomata, dolores vagi & per intervalla recurrentes, laſſitudines, inquietudines, æſtus febriles, fluxus ventris, tumores

res ſeroſi, pruritus, articulorum dolor, *&c.* oriuntur.

Quapropter optima eſt præſervandi ratio, ſi corpore cumulentur ſeroſitates, per ſudores & urinas tempeſtive educere, præmiſſa purgatione.

---

## *Dolores Erratici.*

SErum copioſius in venis redundans ad habitum corporis & partes extremas, tanquam ſuperfluum propellitur, unde cum excrementis ultimæ concoctionis permiſtum, acrimoniâ ſua in ſenſibilibus artuum, aliarumque partium locis, dolorem vagum & recurrentem propter mobilitatem ſuam producit.

Hinc non pauci de doloribus hic illic in variis partibus recurrentibus valde queruntur: quorum cauſæ proximæ ſunt humores ſeroſi, ſecundis potius quam primis qualitatibus delinquentes; quatenus ſunt imprægnati ſpiritibus ſalinis, nitroſis, aluminoſis, vitriolatis: (uti *Greg. Horſt.* indicavit) ſua proin acrimonia nervoſum & muſculoſum genus petentes rodendo, vellicando, lancinando, dolorem inferunt.

Par

Par hujus eſt ille ſermo *Hipp.lib.de priſcâ Med.* " Non calidum, frigidum, humidum & " ſiccum, magnam habet agendi vim, ſed a-" marum & ſalſum, dulce & acidum, inſipi-" dum & acerbum: quæ etſi in miſtione & " mutua inter ſe contemperatione, neque " cernantur neque moleſtia afficiant, ta-" men ubi horum quidquam ſecretum fuerit, " & per ſe extiterit, tum & conſpicuum " fieri, & hominem moleſtia afficere, & no-" xam inferre, *&c.*

Cum vero ſeroſi humores in vaſis redundantes, indies congerantur, ob pororum cutis conſtipationem, vel renum infirmitatem; & vel quantitate vel qualitate, moleſtiam & noxam inferant: hinc ſcopus curationis & præſervationis conſiſtit, in obſervatione eorum, quæ ſeroſitatum copiam & efferveſcentiam præcavent: maxime autem ſeri copioſi in maſſa ſanguinea proventus ſudoribus præcavetur & minuitur.

Porro quantum ego diligenti obſervatione & uſu didici, nihil ſudoriferis medicamentis utilius, per intervalla & debite uſurpatis, pro conditione corporis.

Quamobrem ut corpus occluſum magis ſit tranſpirabile, & ſeri abundantia diſcutiatur; eapropter hoc Extractum ad multos affectus graves curandum & præcavendum, ſtudioſe concinnavi.

Et

Et quia hoc Medicamentum præcipue à centro ad circumferentiam corporis nocivam materiam per ſudorem & inſenſibilem tranſpirationem expellit; Sudorifici Extracti nomen ei imponere mihi placuit; quanquam etiam in urinam ciendo non vulgare eſt remedium: & has duas inſignes proprietates artificioſe copulavi, quippe quod experientia & ratione adductus, certum habeo, & urinam provocare, & corpora ad ſudorem diſponere, in multis caſibus maximo cum fructu perficiuntur; nominatim, doloribus vagis à diluvie ſeroſa, perioſtia, membranoſumque genus divellente, Medicamentum dictis proprietatibus præditum optime ſuccurrit, quale eſt hoc Extractum.

---

*Paralyſis.*

## *Paralyſis.*

AD Paralyſin & membrorum torporem eſt efficax auxilium; quando ſpirituum animalium influxus in nervos & muſculos impeditur; vel quando ſpiritus dicti à ſua natura alienantur, ut in Paralyſi Scorbutica accidit.

Hoc Remedium aperit, diſcutit, & tranſitum ſpiritibus præbet; partes impotentes excalefacit, ſpiritus gravatos & torpidos exſuſcitat & relevat.

## *Arthritis.*

QUi Arthritide laborant, ſolamen iis eſt hoc Extractum; non tam cauſam occaſionalem abigendo & conſumendo, quam etiam archeum furentem ſedando.

Fruſtra de Articulorum roboratione topicis cura ſuſcipitur, niſi impediatur ſeri proventus, & ejuſdem abundantia minuatur, & aciditas fermentalis tollatur. Fruſtra autem *Galenici* ſua Purgantia exhibent; nam acor ille exoticus, talibus remediis trahentibus non cedit.

*Scorbutus.*

## *Scorbutus.*

IN Curatione *Scorbuti* non rarò hoc extractum requiritur: quando nempe dolores vagi per intervalla recurrentes ægrotantem affligant; vel corpus tumefactum & imperſpirabile ſit, vel Cutis deſædationes appareant.

Poſt ſufficientem Purgationem per alvum, quæ in habitu Corporis hærent reliquiæ per Sudorem & Tranſpirationem diſcutiendæ ſunt.

## *Lues Venerea.*

AD Morbum Gallicum expugnandum (præmiſſa Purgatione) eximium eſt Remedium: ſive Morbus ex impuro concubitu, vel hæreditario jure venit.

Dolores gravativos Membrorum ſedat, laſſitudinem & pigritiem tollit, & totum corpus mundificat, expellendo per Poros malignitatem illam veneream latitantem quæ dictas partes per intervalla affligunt; & omnia Symptomata brevi mitigat, fomitem mali ſubtrahendo, & fermentum contagioſum erudicando.

## *Gonorrhæa.*

MAgnum iis affert auxilium qui Gonorrhæa laborant, ex imbecillitate retentricis facultatis in partibus genitalibus; vel ex cruditate, tenuitate, aut acrimonia Seminis.

Non minoris eſt efficaciæ in Gonorrhæa virulenta ex lue venerea producta, tum ad expellendam omnem corruptionem in vaſis ſeminariis contentam, quam ad illa aliaſq; corporis partes roborandas.

## *Cutis Vitia.*

AD maculas Scorbuticas, impetiginem, Scabiem, herpetem miliarem, ſquammas furfuraceas, & id genus alias cutis defœdationes, quæ à degeneratione & impuritate ſanguinis oriuntur (corpore prius prædictis Pilulis purgato) uſus hujus Diaphoretici valde approbatur.

Et quoniam materiam peccantem inſenſibiliter & per ſudorem expellit, ideoq; maxime proficuus ejus uſus eſt, cum materia peccans in habitu corporis præcipue locum tenet: hinc maculis variis Cutis diſcoloratur, & puſtulæ variæ erumpunt. *Dorſi*

## *Dorſi Infirmitates.*

MAgnum juvamen eſt iis, qui tabe dorſali, imbecillitate & dolore *dorſi* male afficiuntur: roborat partes debilitatas, & balſamum naturæ conſervat: ulceribus renum vel aliarum partium Balſamica ejus virtute optime ſuccurrit.

## *Contuſio.*

SI quis ex alto ceciderit, hujus uſu levamen ſentiet: contuſiones omnes internas ſanat, diſſolvendo ſanguinem coagulatum; partes læſas à corruptela & putredine defendit, febri occurrit, & à periculoſis aliis ſymptomatibus ſupervenientibus (quantum in medicina eſt) præſervat.

## *Ventris affectus.*

TOrmina Ventris & Colicam paſſionem à flatu, vel acri humore inteſtina lancinantibus optime ſedat.

Fluxus Ventris periculoſos, etiamſi à qualitate aliqua maligna provenientes, tu-

tiſſime cohibet, corruptionem materiæ peccantis & malignitatem, per ſudorem & inſenſibilem tranſpirationem eliminando.

## *Hydrops.*

IN Curatione Hydropicorum, ſive Anaſurca Aſcitide vel Tympanitide afficiantur, magni adjumenti eſt hoc extractum; aperit, diſcutit, ſeri abundantiam minuit, Sudorem & Urinam provocando; inde morbus levior indies redditur.

## *Fluor albus.*

EXtracti hujus Diaphoretici virtutes præcipue conſiſtunt in expellendis per ſudorem & inſenſibilem tranſpirationem noxiis & putridis humoribus in corpore dominantibus, inde maſſa ſanguinea probe mundificatur, & natura à ſuo onere levatur; partes internæ confirmantur, multi etiam morbi præcaventur & curantur, qui ab impuritate & degeneratione ſanguinis & ſucci nutritii originem trahunt; hinc ad fluorem muliebrem ſiſtendum (corpore prius leniter & per vices purgato) optimum eſt Remedium; cum affectus iſte à Cacochymia corporis & uteri debilitate dependeat.

## *Peſtis.*

ANtidotus eſt excellens contra Peſtem: nam bezoardica ſua proprietate qua inſigniter pollet, veneno Peſtilentiali reſiſtit, & exterminat tranſpirando: ſanguinem à putredine & corruptione vindicat; Spiritus vitales à malignis & contagioſis miaſmatis (quæ iis immiſcent) purificat & liberat: Cor inde recolligit vires & à morbo tutum eſt.

---

## *Doſis.*

EXhibetur hoc extractum viris & fœminis adultioribus incipiendo à quantitate nucis Moſchatæ,& per gradus aſcendendo ad quantitatem nucis Caſtaneæ, plus minus, pro conditione corporis, magis vel minus tranſpirabilis, & morbi magnitudine.

Quamobrem unuſquiſq; Doſim ſuo corpori aptum poſt primum hujus Medicamenti Experimentum, facile judicabit, cum vires Medicamenti tentaverit.

Advertendum autem, ſæpius mediocriter ſudores movere, melius eſſe quam ſemel modum excedando vires proſternere: Sudor

dor enim ſi nimis copioſus ſit, vires valdè debilitat.

Extractum hoc Sudorificum in affectibus per Diaphoreſin expellendis debito tempore, quo natura hoc auxilio indiget, utiliter exhibetur.

Si vero morbi ſtatus Medicamenta Cathartica primum requirat, hoc ſudorificum in aliud tempus differendum: ut cum ægrotus multis ſcateat impuritatibus, is prius tentandus purgantibus; praviq; humores per ſedem ſunt evacuandi, ne in habitum corporis trahantur, deinde hoc Diaphoreticum virtutes ſuas felicius exercebit: præmiſſa itaq; Purgatione quod adhuc Maſſæ ſanguineæ permiſcetur, Sudoriferis excludendum erit.

Capias hoc Diaphoreticum in lecto, ſupra cuſpidem cultelli, Saccharo vel pruno cocto prius involutum: & ſuperbibas hauſtulum ſeri lactis cerviſiati.

Et quia nullius nociva eſt particeps qualitatis, ideo multoties ejus uſus tutò reiterari poteſt; continuando Remedium longiori vel breviori tempore juxta neceſſitatem & magnitudinem Morbi.

Medicamento hoc uti licet bis vel ter in ſeptimana, diebus vacuis à Purgatione, poſt levem Cœnam, horâ ſomni, ut per inſenſibilem tranſpirationem operetur, vel

matutino tempore, ut Sudor in lecto per duas horas proliciatur.

Si tempore nocturno hoc Sudoriferum capias, poſtero die extra domum ambules; niſi corporis infirmitas vel Cœli inclementia aliter ſuadeat: cùm autem tempore matutino hoc capias (talem nempe quantitatem ut Sudor protrahatur) nè illo die egrediaris, ut aeris injuriam præcaveas.

---

# *Concluſio Operis.*

QUoniam Tractatus hic non in gratiam Medicorum, ſed ægrotantium, qui Medicam implorant opem, concinnatur; hinc ea qua potui diligentia, horum Medicaminum virtutes & utendi modum clarius deſignavi, juriſq; publici in communem utilitatem feci; ut quilibet morbo licet grandi laborans, iiſdem ſuæ Curationis ſeriem ritè percurrat: nec dubito (multiplici experientia confirmatus) quin prudenti eorum uſu, quam plurimi à ſuis malis levamen feliciter invenerint.

Quamobrem cuilibet ſuadeo ut hanc medendi methodum ſequentem diligenter proſequatur.

Primò, Purgatio per vices aliquot præcedat, ad impuritates in prima regione abſtergendum.

Deinde Elixiris uſus ſubſequatur, ad functiones languidas & deficientes roborandum.

Tandem pro diſcuſſione & abſumptione ſeri copioſioris; ad maſſam ſanguinis & habitum corporis purificandum, extractum Sudorificum ad Diaphoreſin procurandum adhibeatur.

Et jam ſatis horum medicaminum, quantum per compendii leges fieri licet, virtutes & uſum enunciavi.

Faxit Deus, ut hæc omnia ad ægrotantium exoptatam valetudinem cedant.

FINIS.

# *Books Written by the* Author.

T*Utela ſanitatis ſive vita Protracta*, The Protection of long Life, and detection of its Brevity from Diætetic Cauſes and common Cuſtoms; With a Treatiſe of Fontinels or Iſſues, whereunto is annexed *Bellum Neceſſarium ſive Medicus Belligerans*, The Military or practical Phyſician viewing his Armory, furniſhed with Medicinal Weapons, and Munition againſt the Secret Invaders of Life, fitted for all Perſons and Aſſaults, with their ſafe and regular uſe, according to medical Art and Diſciple. 8°.

2. *Morbus Polyrhizos & Polymorphæus*, A Treatiſe of the *Scurvy*, examining Opinions and Errours concerning the Nature and Cure of this Diſeaſe, eſtabliſhing a method for prevention and Cure; Founded upon other Principles Concordant with Reaſon, verified by practice. *Octavo*, 1665.

Books

Books Printed for, and are to be ſold by *William Grooke* at the Three Bibles on *Fleet-Bridge*, 1665.

## *Learned Books in* Divinity.

CRitica Sacra in two parts. The *firſt* containg Obſervations on all the Radices or primitive Hebrew words of the Old Teſtament, in order Alphabetical, wherein both they and many Derivatives alſo iſſuing from them, are fully opened out of the beſt Lexicographers and Scholiaſts: The third Edition Corrected and much enlarged by the Author, with an addition of a Supplement to both parts. The *ſecond* part Philological and Theological Obſervations upon all the Greek words of the New Teſtament, in order Alphabetical, wherein uſually the *Etymon* of the word is given, its Force and Emphaſis, and the ſeveral acceptions of it in Scripture, and the Verſions of it are ſet down, by *Edward Leigh*, Eſq; Maſter of Arts of both Univerſities: To which may be added

added 24. *Braſs Cuts* to the old Teſtament. in *Folio*.

2. *Theſaurus Biblicus*, &c. By *Richard Bernard*, with additions of Mr. *Retchford*, in *Folio*.

3. *Dubartus* Divine Works. Folio.

4. *Rutherfords* Survey of the Spiritual Antichriſt. Quarto.

5. His Survey of Mr. *Hookers* Eccleſiaſtical Diſcipline. Quarto.

6. His Treatiſe of the Liberty of Conſcience. Quarto.

7. His Chriſts dying and drawing ſinners after him. Quarto. Theſe four may be had together or ſeveral.

8. Mr. *Perkins* ſix Principles of Religion. Octavo.

9. Dr. *Gaudens* Pillar of Gratitude. *Fol.*

10. His Sermons. Octavo.

11. *Sin Diſmantled*, ſhewing the loathſomeneſs thereof in laying it open by Confeſſion, with the remedy for it by Repentance and Converſion; wherein is ſet forth the manner how we ought to confeſs our ſins to God and man, with the Conſiliary decrees from the Authorities thereof, and for the ſhewing the neceſſity of Prieſtly Abſolution, &c. and alſo is added an Hiſtorical relation of the Canons, concerning Confeſſion, and the ſecret manner of it; alſo

alſo the Confeſſors affections and inclinations are ſhewed by *T. A. L. Rev. L. J. D.D.* in Quarto. 1664.

12. *The Oath Book*, ſhewing the uſefulneſs of Swearing, by *J Tombs*, Quarto.

## *Books New and Excellent in* Divinity.

13. *The Truth and Excellency of Chriſtian Religion Demonſtrated*, againſt Jews, Mahometans, and Heathens, publiſhed at the deſire of ſome Learned men, and for the ſatisfaction of all rational perſons in *England*, 1665. Quarto. *A ſmall but very rational Piece.*

14. *Hugonis Grotii*, Baptizatorum puerorum inſtitutio alternis Interrogationibus & Reſponſionibus cui acceſſerunt Græca ejuſdem Metaphraſis *à Chriſt. Waſe*, & Anglicana Verſiò, à *Fr. Goldſmith*, Armigero una cum luculentis *è S.S.* Teſtimoniis A.N.G. in uſum Scholarum; Quinta Editio & emendatior & obſervatiunculis in Græcam Metaphraſin ad calcem appenſis auctior adjiciuntur itidem huic Editioni effigies *Hugonis Grotii, Fr. Goldſmith* & *Chr. Waſe*, item Catalogus omnium operum *Hugonis Grotii* ad calcem adjectus eſt.

15. There is newly engraven the ſo much and ſo long deſired *Pictures to the Old Teſtament*, fitted for Bibles of ſmall and great

great Volumes, either by themſelves, or rea-bound up in Bibles, by *William Crooke* at the three Bibles on *Fleet-bridge* 1665.

*Learned pieces in* Humanity.

16. *Thomatius* Dictionary, in Quarto.

17. *A new diſcovery of the old Art of Teaching a School*, in four Treatiſes, *viz.* A petty School. The Uſhers duty The Maſters method; And Scholaſtick Diſcipline. Shewing how Children in their playing years may Gramatically attain to a firm groundedneſs in exerciſe of the Latin, Greek and Hebrew Tongues, by *Charles Hoole*, M.A.

18. *The plain Mathematician*, Explaining the hardeſt Problems in Geometry, by *T.G.*

*Excellent and delightfull new pieces on ſeveral Subjects.*

19 *Some years Travells* into divers parts of *Africa* and *Aſia* the great; deſcribing more particularly the Empires of *Perſia* and *Induſtan*, interwoven with ſuch remarkable occurrences as happened in thoſe parts during theſe later times; as alſo many rich and famous Kingdoms in the Oriental India, with the Iſles adjacent, ſeverally, relating their Religion, Language, Cuſtoms, and

Habit,

Habit, as alſo proper obſervations concerning them; the third Edition much enlarged, with nigh a third part more then either of the former Editions had in, with the addition of many *Braſs Cuts*, by the Author Sir *Tho. Herbert*, yet living, 1665.

20. *Lanii Triumphantes*, or the Butchers Prize, being a diſcription of the Battle between *Hector* and *Achilles*; *A Mock Poem on* Homer, 1665.

21. *Sixty nine Enigmatical Characters*, all exactly drawn to the life from ſeveral perſons Humors and Diſpoſitions, by *R. F.* Eſq; 1665.

22. *The Hiſtory of the Life and Martyrdom of* St. *George*, The Titular Patron of *England*, with his converſion of *Arabia*, and Killing a great and dreadful Dragon, to redeem the Kings Daughter, all in Verſe; Collected by the 16. years Induſtry of *Tho. Lowick*, Gent. 1664.

23. *The Compleat Vineyard*, or the moſt excellent way for Planting of Vines, not only according to the *German* and *French* way, but long experimented in *England*; wherein are ſet forth the whole circumſtances neceſſary for the Planting a Vineyard, *viz.* The beſt election of your Soil, the Situation thereof; the beſt way for the Planting your young Plants, the beſt time and manner of Proining

Proining both the Stocks and the Roots, the turning and tranſlation of the ground, &c. With all other things neceſſary to the Plant, and the faſhion of your Wine-preſſes, with the manner of Bruiſing and Preſſing; as alſo how to advance our Engliſh Wines, by *W. Hughes*, Quarto, 1665.

24. *The Royal Stem*, Succeſſively continued from *William* the Conqueror to King *Charles* the Second, with a ſhort account of all things Memorable either by Sea or Land, during the Reigns of any of our Engliſh Kings, with the *Picture of King Charles the Second*, lively Cut in Braſs, all on an extraordinary Broad-ſide, fit to hang up in Houſes, Cloſets, Halls, &c.

25. *Caliope's Cabinet Opened*, Wherein Gentlemen may be informed how to adorn themſelves for Funerals, Feaſtings, and other Heroick Meetings: Alſo here they may know their Place, with all the degrees and diſtinctions of Honour in the Realm, ſhewing how every one ought to take place, with the Titles due to them, with other Antiquities very obſervable, by *James Salter*, 1665.

*Plays.*

26. *Hic & Ubique, or the Humors of Dublin*, as it hath been often Acted with great Applauſe, written by *R. Head.* Quarto.

## *New Plays.*

27. *Erminia*, or the Chaſt Lady, a Comedy, by *R. F.* Eſq; Octavo. 1665.

28. *The Projectors*, a Comedy, by *John Wilſon.*

29. *The White Devil*, or *Victoria Corombona*, a Lady of *Venice*, a Tragedy, by *John Webſter*. Theſe two laſt are Acted at the *Kings Play-Houſe.*

---

*FINIS.*